

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xix [i.e. vi]. Sensus est potentia organica cognoscitiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

quos transcendentaliter respiciunt diversos, ita ut ea sit diversa specie ab altera, quæ se potest extendere ad actum, ad quem se nequit extendere altera: specificarentur demum, sed mediately, ab objectis suorum actuum, a quibus hi specificantur immediate, ita ut illa specie ab alia distingueretur, quæ potest per actum suum tendere in objectum, in quod nequit tendere altera. Verum isthæc specificatio potentiarum ejusdem suppositi apud nos, qui eas non multiplicamus, aut inter se distinguimus realiter, usquequaque locum non habet, propter distinctionem tam rationis, quâ illas ab invicem distinguimus, illis aliquo modo applicari poterit, ut nimirum ea ab altera censeatur specie logica differre, quæ versatur circa actus & objecta specie diversa, vel potius anima V. G. quatenus intellectus, potensqñe elicere intellectiones, differat à se ipsa specie logicâ, quatenus est voluntas, sicqñe volitiones & intellectiones vice versa non specificabuntur à diversis materialiter & realiter, sed à formaliter tantum diversis potentiis.

VI. SENSUS est potentia organica cognoscitiva (per quod differt à potentia vegetativa

tiva & locomotiva , item ab appetitu sensitivo & rationali , qui ut talis nihil cognoscit) objecti solum materialis : per quod differt ab intellectu , cognoscente insuper spiritualia : vel etiam est principium vitale cognitionis materialis ; quæ cognitionis materialis objecti materialis est sensatio . Sensus aliis est externus , residens in organo externo , ab eoq; in operando dependens , ut Visus ab oculo , quiq; ab objecto externo vel immediate , vel per ejus species immutatur : alias internus residens in organo interno , nempe cerebro , qui nō tam ab objecto immediate movetur , quam à sensationibus externis ; & hic dicitur Phantasia , seu sensus communis , qui est quoq; in brutis , cognoscientibus per eum res absentes & præteritas . Ex sensibus externis saltem unus requiritur in animalibus , alias non essent viventia sensitiva . Tactus , utpote necessarius ad fugiendum noxia & dolorifera , & Gustus , utpote necessarius ad alimentum bonum à noxio discernendum , adeoq; ordine necessitatis inter sensus primi , et si dignitate posteriores , inesse videntur singulis ; & omnes , sensus animalibus perfectioribus . Ex his quandoq; aliqua

P haben-

habentia sensus entitativè perfectiores , ut
pote habentia animas perfectiores , quām
alia , elicunt operationes minus perfectas ,
quām alia imperfectiora , idqū ob per-
fectiora in certo genere organo ; adeoq; non
obstante axiomatē : *modus operandi sequitur*
modum essendi :

VII. Sensibile dicitur , quod sensu exte-
riori percipi potest. Aliud est sensibile per
se , quod per se , vel per speciem à se imme-
diatè emissam immutat sensum , seu cog-
noscitur : aliud sensibile per accidens , quod
cognoscitur solùm per speciem alterius sibi
inhærentis , talis est substantia parietis , aut cu-
jusvis alterius rei corporeæ , quæ nullam sui
imprimet sensibus externis speciem , sed len-
sibilis est per accidēs à Visu v.g. vel Gustura-
tione v.g. coloris vel dulcedinis sibi inhæren-
tis , adeoq; manet adhuc eadem sensatio ma-
nente sensibili per se , mutatâ licet substantiâ
huic sensibili substante : v.g. eadem visio ho-
stiæ ante & post cōsecrationem , quia manet
eadem ejus albedo & figura. Sensibile per se
illud dicitur proprium , quod ab uno solum
sensu est perceptibile , ut color , sonus &c. illud
commune , quod à pluribus sensibus percipi
potest.